



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XX. An Confessio sit de iure diuino necessaria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Vide in meo *Luthero-cal. par. 3. quæstion. 30. & 91.*
PAPISTA. Pœnitentia est propriè dictum Sacramentum. Teste Ioan. 20. Vide *Antichristum p. 3. q. 29.* Deinde S. Patrum conspirat huc Consensus. Tertul. l. de Pœnit. *Hac venena prouidens Deus, clausa Ignoscencie ianuâ, & Inunctionis serâ obseratâ; aliquid adhuc permisit patere; Collocavit in vestibulo Pœnit. secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* S. Cypr. ser. de ablut. pedum. *Post baptismum, (qui sui reuerentia non patitur iterari) aliud lauacrum pro curasti* Ita S. Ambr. Hier. August. Chry. Cyril. &c. & omnis primitiua Ecclesia.

QVÆSTIO XIX.

An Contritio possit haberi sine speciali auxilio Dei?

HÆRESIARCH. PELAGIVS indoctus calumniator S. Hier in Sicilia exivit hæresarcha anno 410. & ait S. Hieron. *publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit.* Ideo anno 415. suam damnat hæresim dolose in Concilio: & anno 416. damnatur in Conc. Mileuitano & Carthagin. ab S. Aug. & S. Hieron. in o. exagitatus. Ac rursus dolose supplicat Papa anno 417. pro absolutione: At relapsus à Conc. Carthag. damnatur, ab Honorio relegatur. Finxit is, teste *Aug. l. de hæres. c. 88. & Epist. 106.* gratiam, qua liberatur ab impietate, secundum merita dati.

LUTHERANVS KEMNITIUS p. 2. Exam. pag. 963. impingit Conc. Tridentino, quod eandem hæresim stabiliat: & Romano-catholicos facit videri Pelagianos.

PAPISTA. Mentitur iniquitas sibi. Veritas nostra dicit, dixitque semper, Conuersionem à diuina gratia præueniri, ac inspirari.

1. Sic Conc. Trid. sess. 6. Can. 5. & c. 14. & Can. 3. & sess. 14. c. 4. Sic omnis retro Antiquitas tum Conciliorum tum S. Patrum Consensus: Autore S. Scriptura. Pf. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Pf. 118. *Erraui sicut ouis qua perijt, quare*

seruum tuum. Ierem. 31. Conuerte me Domine, & conuertar. &c. Postquam conuertissem me, egi pœnitentiam. &c. Vide *Antichristum p. 3. q. 33.*

QVÆSTIO XX.

Num qua sit necessitas CONFESSIONIS de Iure diuino?

HÆRESIARCH. MONTANISTAE & NOVATIANI sub annum 254. vt q. 18. dictum, negabant Absolutionem, vnde nulla Confessionis sequitur necessitas.

AVDIANI, ab Audæo in Mesopotamia orti anno 341. ait *Theodor. l. 4. de fabulis her.* iubebant quidem Confessionem, & impertiebant Absolutionem; sed pœnam iniungebant pœnitentibus nullam. Vnde hi pauca quædam confitebantur, at grauiora celabant.

MESSALLIANI, anno 361. in Mesopotamia orti, damnati in Conc. Orientali anno 427. teste S. *Damasc. l. de her. peccata dimittebant, nulla habitaratione pœnitentiæ, & Canonum.*

WICLEFVS ait *Tho. v. d. 2. de Sacr. c. 135.* sub annum negauit Sacramentalem Confessionem in S. Scriptura fundari; sed à Papa institutam.

LUTHERANI variè aiunt, & negant: **CALVINIANI** Sacramentalem pernegant cum Nouatianis Vide *Luthero-c. p. 3. q. 93.*

PAPISTA. Affirmamus, ex & Institutione Christi, Figuris Veteris & Noui Testamenti, & Vsu doctrinaque Apostolorum: Vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 93. 94. 95.* Et in *Antichristo q. 37.*

2. Demonstrat idè *Bell. l. 3. c. 5.* ex Concilijs, & c. 6. 7. 8. 9. ex S. Patribus ordine sæculorum. Contra quos *Luthero-cal. uinistarum obstrigillatiunculas diluit idem c. 11.*

3. Ratio fauet. Nam quæ iuris sunt humani, ea reperiuntur initium habuisse ab Concilijs vel Papa. At *Irenæus, Tertul. &c.* de iure diuino Confessionis proidentes omnia Concilia antecesserunt. *Item Confessio tam res difficilis est, vt, nisi de eius iure diuino constitisset, homines adeo vniversi ad eam adigi ne-*
 F i qui-

nequiuissent. Item Plurima illius utilitas est: Miracula eam certa approbant. *Bell. c. 12.*

QVÆSTIO XXI.

Vnctio infirmorum an sit proprie dictum Sacramentum?

HÆRESIARCH. V. VALDENSES sub annum 1. teste Aenea Syluio *l. de Orig. Boem.* negarunt. Item Albigenses, apud S. Antoninum *p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5.* Item VViclefus, teste Tho. VValdensito. 2. de Sacram. *c. 163.*

LUTHERANI quidam esse Ritum dant, Sacramentum negant. Alii cum CALVINO negant totum, ac irrident & dispuunt. *Luthero-cal. p. 3. q. 103. 104.*

PAPISTA. Tam confessã de hoc Sacramento semper veritas constitit, vt non nisi serò eam heretica impietas cõuellere ausa fuerit. Neque S. Antiquitas de illius Institutione vnquam mouit questionem; nisi nouitia schola Theologorum: Cui visum, eius Institutionem ex Euangelistis repeti oportere; vt quam S. Iacobus adeo fidenter præsupponebat. Sed hæc certa eius scientia fidesque non innitebatur verbo Scripto magis, quam cætera illius prædicatio; quam hausit ex Traditione Domini sic tradentis ac docentis, sicut à Patre acceperat. Eadem in fide Traditionis Ecclesia esse Sacramentum constanter tenuit; at Modum eius administrandi per vetustissimos S. Canones ac Concilia definiuit stabilem ac certum. Cætera in Luthero-cal. require.

QVÆSTIO XXII.

An ORDINATIO sit vere Sacramentum?

HÆRESIARCH. I. SATAN, hæresiarcharum Patriarcha est, de quo,

Ioan. 8. *Homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia Veritas non est in eo.* Cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur; quia mendax est. Is vt degit vbi nullus ordo, sed horror sempiternus inhabitat: ita tum Ordinis, tũ Ordinationis in Ecclesia capitalis est hostis: Et ab eo omnes filij Belialis Inprimis hæretici: qui omnia promiscue peragi volunt in Ecclesia, nulla vel sex^o vel ordinis distinctione. Vnde notauit Tertul. *de præscript. c. 41.* per mulieres quoque procaces audent tingere, docere, exorcizare, & Ordinationes impendere. &c.

2. SIMON MAGVS talium primus, de quo Petrus, *Act. 5. v. 20. Plene omni dolo, fili diaboli, inimice omnis iustitie, non desinis subuertere vias Domini rectas.* Solenne hæreticis semper fuit, *mulierculas circumducere oneratas peccatis,* Satanae prophetissas; eisque permittere Sacra & profana: Quin & Laicis Sacramenta submitunt. Nec mirum, cum apud eos nullus sit Ordo, sed horror, & Confusio Babel, & ataxia plusquam gentilis. Vide *Bzov. anno 44. §. 32.*

3. LUTHERVM sane Dæmonis vsum magisterio, ipse testatur *l. de privata Missa.* Zvinglium à nocturno spiritu, atro an albo, negationem Christi in Eu chanistia hausisse, ipse prodit. Calu- num vtriusque discipulum extitisse, glori- antur etiam Caluinistæ, teste *Decade 1. & 2. Reformati Euang.* Sculteti, apud Ex- regem & Ex palatinum Fridericum V. summi & vltimi Prædicantis Caluina- ni Heidelbergæ.

De his vera ne vox Domini? Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.*

Vel